

unus conjux de consensu alterius intret religionem, ibique valide profiteatur. Abbas, in c. 1. h. t. Glossa, in can. *Si vir*. 23. cau. 27, q. 2; Sanchez, *de Matrim.* lib. VII. disp. 32, n. 3. et communis aliorum, arg. c. 1. h. t. ubi professio conjugis ignorante episcopo facta censetur valida. Verum ut licite fiat conjugis professio, licentia episcopi videtur necessaria, can. *Si vir*. 23. cau. 37, q. 2. ibi: « Si vir et uxor divertere pro sola religiosa inter se consenserint vita, nullatenus sine licentia episcopi fiat. » Glossa, in c. 1. h. t. *Revocari*. Layman, lib. V, tract. X, p. 3, cap. VII, n. 3. Ratio est, quia per talem ingressum fit separatio quoad thorum, hæc autem sine licentia episcopi fieri universaliter prohibetur, can. *Multorum*. 10, cau. 35, q. 6. Porro ad episcopum pertinet judicare, an aliquis conjux sit ita senex, ut a suspitione incontinentiæ immunis sit, quod altero religionem intrante manere possit in sæculo, voto castitatis emissio, textu claro c. *Cum sis*. 4. h. t.; Layman, loc. cit. n. 3.

22. *Professio conjugis sine recensitis requisitis facta, quamvis sit illicita, tamen valet, dummodo adsit consensus alterius conjugis.* — Resp. IV. Licet illicite agat, et peccet conjux, si non adhibitis conditionibus enarratis religionem ingrediatur, ibique professionem emittat, per jura citata, nihilominus valida erit talis professio, dummodo cum consensu uxoris fuerit facta. Glossa, in c. *Ex parte*. *de Jure*. h. t. Abbas, ibid. n. 2. 3. et 5. et alii, arg. can. *Agathosa*. 21, cau. 27, q. 2. et c. *Ex parte*. h. t. ubi dum vir sine debitis conditionibus, cum licentia tamen uxoris religionem professus, et revocante uxore iterum egressus, mortua eadem alteri nuberet, matrimonium fuit declaratum nullum, et vir compulsus religionem priorem intrare, quod fieri non potuisset, si professio ejusdem valida non fuisset. Accedit, quod professio sine aliqua ex conditionibus cum licentia tamen uxoris facta nullibi in jure irritetur.

23. *Si remanens in sæculo perpetuam castitatem non voverit, potest et debet professus iterum revocari.* — Notandum tamen quod si unus conjugum cum consensu alterius profiteatur, et alter in sæculo manens perpetuam castitatem non voveat, professus ad uxorem per episcopum iterum revocari possit, et debeat; uti expresse statuitur c. 1. h. t. et tenent hic doctores communiter.

Revocatus autem debitum petere non potest, ob dicta supra n. 10. Reddere tamen tenetur, idque petere alteri religionem non ingresso licet, alias enim frustra revocatur.

24. *Secus si vovit.* — Si vero pars remanens in sæculo vovit castitatem, professus revocari amplius non potest, sive dein remanens in sæculo sit juvenis, sive senex, sive suspecta, sive non. Fagnanus, in c. 1. h. t. et ibi Hostiensis, Abbas, n. 8; Sanchez, lib. VII. *de Matrim.* disp. 33, n. 9. et communis aliorum, arg. c. 1. h. t. ubi ad hoc, quod professio conjugis de licentia alterius facta irrevocabiliter valeat, divisive solum requiritur, ut alter conjux vel ad religionem transferat, vel perpetuam continentiam voverit, nec distinguit inter senem vel juvenem; ergo si perpetuo vovit, professus revocari amplius non poterit, sive juvenis, sive senex, aut suspecta: cum « ubi jus non distinguit, nec nos distinguere debeamus. » l. *de Pretio*. ff. *Public. in rem act.*

25. *An, et quando conjux juvenis altero proficiente remanens in sæculo, et castitatem vovens compellendus sit ad ingrediendam religionem?* — Conveniunt etiam doctores citati, quod si ex tali casu pars remanens in sæculo sit juvenis, aut suspecta, per episcopum compelli debeat, ut et ipsa religionem ingrediatur arg. c. *Significavit*. 18. h. t. Num autem ibidem etiam profiteri, an solummodo inclusa manere debeat, ad vitandas evagationes, et pericula incontinentiæ, disconveniunt: sed videtur cum distinctione respondendum: videlicet, si remanens in sæculo juvenis, aut suspecta fuit conscia juris, quod dans licentiam et ipsa profiteri debeat, arg. can. *Qui Uxorem*. 10, cau. 33, q. 5. compellenda erit, non tantum ut ingrediatur, sed et profiteatur ibidem. arg. cit. can. *Qui Uxorem*. et c. *Significavit*. 38. h. t. Ratio est, quia censetur ad id tacite se obligasse. Si vero fuit juris ignara, erit tantum compellenda ad manendum in monasterio, non vero ad profitendum; cum nec tacite nec expresse ad id se obligaverit, nec consensum præstitit: nam sicut nemo præcise cogitur ordinari, arg. c. *Queris de Etate et qualitat.* ita nemo præcise cogitur profiteri, can. *Integritas*. 32. q. 1. et hæc distinctio placet Abbati, in c. 1. h. t. n. 8. et ibi Fagnan. n. 4. ad finem; Sanch. loc. cit. n. 27; Pirhing, h. t. n. 13. et aliis. Id quod jura de conversione conjugatorum or-

dinatum habent, expresse etiam continetur in regula nostra a Christo dictata cap. II. illis verbis, ibi: « Si qui voluerint hanc vitam accipere, etc. et uxores habent, et jam monasterium intraverint uxores, vel licentiam eis dederint, auctoritate diocesani episcopi, voto continentiae jam emisso, et illius sint ætatis uxores, quod non possit de eis oriri suspicio. »

26. *Si unus conjugum adulterium committit, potest eo invito alter religionem ingredi.* — Quæritur III. An, et quomodo conjuges religionem intrare, vel etiam ordines suscipere valeant, casu quo unus eorum committat adulterium carnale, vel spirituale labendo in hæresin, vel infidelitatem? Resp. I. Si unus conjux adulterium carnale committit, potest pars innocens etiam invito adultero religionem intrare, ibique irrevocabiliter profiteri, ita ut ab adultera parte etiam emendata revocari non amplius possit. Abbas, in c. *Constitutus*. 15, h. t. n. 1 et 5. et ibi Barbosa, Anchoranus, Sanchez, lib. X. *de Matrim.* disp. 11. cum communi et certa aliorum, arg. cit. c. *Constitutus*. 15. et c. *Veniens*. 16. h. t. juncto can. *Agathosa*. 21, cau. 27, q. 2, et can. 2, cau. 32, q. 1. Ratio est, quia conjux adulterando perdit omne jus conjugale, c. 4. *de Divort.* quod solum obstaculum esset ingressui in religionem. Nec requiruntur ad talem ingressum conditiones supra enarratæ: quia ut bene advertit Pirhing, h. t. n. 35; Sanchez, disp. 10, n. 15, esse tantum necessariæ sunt in casu illæsi matrimonii, ubi quævis pars jura conjugalia salva possidet.

27. *Etiam propria auctoritate.* — Et quidem si adulterium publicum est et notorium, potest pars innocens propria auctoritate, non expectata sententia divortii religionem ingredi. Abbas, in c. *Constitutus*. 15. h. t. n. 4, et ibi Barbosa, n. 2; Sanchez, loc. cit. n. 5 et 10; Pirhing, h. t. n. 35; Sylvester, *de Divortium*. q. 23, dict. 2; Vallensis, h. t. n. 5. arg. cit. c. *Constitutus*. h. t. Ratio est, quia licet alias divortium viri et mulieris sine licentia episcopi fieri non possit, arg. can. *Multorum*. 10, cau. 35, q. 6. tamen limitatur hoc in casu, quo unus adulterium commisit; tunc enim pars innocens facultatem propria auctoritate dimittendi partem adulteram habet a lege divina, *Matth.* XIX, 6. et humana cit. c. *Constitutus*. et adhuc clarius, can. *Dixit Dominus*. 2, cau. 32, q. 1. ibi: « Ubicumque fornicatio est, libere

uxor dimittitur: » et amplius demonstrat Glossa, in c. fin. *de Adulter.* *de Fornicationis*, et ibi Abbas præcipue ob rationem in conclusione datam.

28. *Si adulterium est publicum.* — Secus est, si adulterium adhuc est occultum, quia tunc debet expectare sententiam divortii. Sanchez, loc. cit. n. 5. et disp. 12. Pirhing, h. t. n. 35. et communis aliorum. Hinc si absque tali sententia religionem intrat, in foro externo restitui debet adultero, non obstante exceptione adulterii, prout teste Sanchez, loc. cit. n. 5. tenent omnes, arg. c. *Item cum quis. de Restit. spoliat.*

29. *Pars innocens post alterius adulterium, si ei cohabitavit, vel etiam adulteratur, eo invito religionem intrare non potest. Paria delicta mutua compensatione tolluntur.* — Limitatur conclusio n. 26. posita. I. Casu, quo pars innocens post habitam notitiam adulterii alterius tamen adultero cohabitavit, eique reddat, vel ab ipso petat debitum, nisi id faceret ex mandato Ecclesiæ. Glossa, in cit. c. fin. *de Adult.* *de Fornicationis*. Vallensis, h. t. n. 5. cum communi. Ratio est, quia censetur eidem reconciliatus remisisse injuriam, arg. can. 1, 2 et 3, cau. 32, q. 1. et l. *Si uxor*, § fin. ff. *de Adulter.* II. Si etiam ipse adulterium committit. Vallensis, loc. cit. Ratio est, quia « paria delicta mutua compensatione tolluntur. » C. fin. *de Adulter.* et ibi Glossa communiter recepta.

30. Resp. II. Si pars innocens religionem non ingreditur, sed in sæculo manens adulteram partem a se repellit, non potest hæc sine licentia illius religionem ingredi. Glossa, in c. *Ex litteris*. *de Redire de Divort.*; Sylvester, *de Divortium*. q. 10; Sanchez, *de Matrim.* lib. X, disp. 10. n. 12 et 13; divus Bonaventura, in 4, dist. 35, q. 5; Pirhing, h. t. n. 35; Layman, lib. V, tract. X, p. 3, cap. VII, n. 11. et alii contra nonnullos alios a Sanchez, loc. cit. n. 11. citatos. Ratio est, quia conjux innocens habet jus injuriam condonandi adulteræ parti, eamque ad thalamum revocandi, prout ex jure, rationibus, et copiosa doctorum auctoritate demonstrat Sanchez, lib. X. *de Matrim.* disp. 10, n. 3, et seq. quo jure invitus privari non potest.

31. Notandum tamen, quod etsi pars innocens adulteram nec recipere, nec statim licentiam ad profitendam religionem dare teneatur, arg. c. *Gaudemus*. 19. h. t. tamen laudabiliter faciat, si propter Deum iterum recipiat, et ut faciat ab episcopo diligenter

moneri debeat : quod si pars innocens post repetitas episcopi monitiones, vel exhortationes nocentem recipere recusat, debet ab episcopo in monasterium detrudi ad agendam ibi poenitentiam, textu claro, cit. c. 10. h. t. in quo etiam profiteri poterit, saltem post biennium, si eam vere emendatam, post repetitas monitiones recipere nolit pars innocens. Barbosa, in cit. c. 19. h. t. et ibi Joan. Andreas, n. 2; Anchoranus, n. 2; Sanchez, lib. X. de Matrim. disp. 19, n. 16; Pirhing, h. t. n. 37, arg. Authen. *Sed hodie. c. ad Leg. Jul. de Adult.* Ratio est, quia si quis aliquoties monitus post biennium adhuc recusat recipere emendatam, censetur vel tacite dare licentiam, vel irrationabiliter negare, uti notant doctores citati.

32. Resp. III. Si pars innocens nocenti adulterae facite, vel expresse dat licentiam religionem profitendi, vel ordines suscipiendi, potest nocens hac licentia licite et valide uti, etsi pars innocens adhuc sit juvenis, et in saeculo manens, votum continentiae non emittat. Sanchez, loc. cit. n. 15; Pirhing, loc. cit. n. 35, et alii. Fundamentum ac ratio est, quam supra allegavimus n. 26. Pariter potest pars adultera religionem ingredi, et in ea profiteri etiam inscia et invita parte innocente, si haec prius religionem profitetur. Communis ac certa. Ratio patet, quia quando pars innocens professionem emittit, incapax est revocandi partem nocentem, et eidem conjugali jure cohabitandi; quod solum alias professionis obstaculum esse potest.

33. Resp. IV. Quandocumque vir ob adulterium uxoris ea invita potest religionem ingredi, potest etiam ordines sacros in saeculo quoque manens accipere; dummodo aliud non obstet impedimentum, ita contra Innocentium in c. *Veniens*. h. t. et ibi Joan. Ander. n. 4. Hostiens. n. 8 et 9. et alios docet Glossa, in c. *Constitutus*. h. t. §. *Ad gradum*. Abbas, ibid. n. 4. Navarrus, lib. IV. de Sponsal. consil. 23, n. 6; Sylvester, §. *Divortium*. q. 17, n. 20; Sanchez, lib. X. de Matrim. disp. 11, n. 16; Pirhing, h. t. n. 34. cum communiori et probabiliori aliorum, arg. cit. c. *Constitutus*. 15. h. t. Ratio est, quia postquam mulier adultera totum suum amisit jus ad virum, non est major ratio, cur ea invita possit vir profiteri religionem, et non in saeculo ordines suscipere.

34. Nec dicas disparitatem esse, quod uxor adultera post mortem viri religionem

professi possit alteri nubere, non item post mortem viri ordinibus ordinati, can. *Quia*. ant. 10, dist. 28. et can. *Seriatim*. 14, dist. 32. Nam contra est, quod canones illi loquantur de casu, quo vir de licentia uxoris integræ suscipit sacros ordines, et non de casu, quo uxore existente adultera dictos ordines suscipit, uti bene advertit Abbas, loc. cit. Ratio diversitatis est, quia in primo casu mulier innocens consentiendo ad ordinationem, censetur se obligare ad continentiam, non autem sic in casu adulterii.

35. Resp. V. Etiam propter adulterium spirituale, si nempe una pars conjugum in hæresim labatur, vel apostasiam a fide committat, potest pars in fide vera remanens, parte spiritualiter adulterante invita religionem ingredi, vel sacros ordines suscipere, etiam postquam ad fidem veram iterum rediit pars adulterans, dummodo separatio ob adulterium spirituale auctoritate Ecclesiae, et non propria auctoritate fiat. Glossa, in c. fin. h. t.; Pirhing, h. t. n. 39 et 40. cum communi aliorum textu, claro c. fin. h. t. ibi : « Mulier, quæ in fide permansit, potest nolente viro, qui ab infidelitate revertitur, propter quam ab eo iudicio Ecclesiae fuerat separata, ad religionem libere convolare. » et c. *De illa*. 6. de Divor. ibi : « De illa, quæ viro suo labente in hæresin, ipsius consortium sine iudicio Ecclesiae declinavit, videtur nobis, quod mulier, etc. ei, cum conversus fuerit, est reddenda, quæ etiamsi reverti noluerit, compellatur : si vero iudicio Ecclesiae ab eo recessit, ad recipiendum eum nullatenus dicimus compellendam. »

TITULUS XXXIII

De conversione infidelium.

1. Ratio continuationis. *Conversio infidelium, quid?* — Viso de conversione conjugatorum ad religionem, sequitur præsens titulus de conversione infidelium ad veram fidem catholicam, de qua etiam cau. 28, q. 1 et 2, item cau. 32, q. 8, cau. un. Est autem hic sermo de infidelibus proprie talibus, id est illis, qui per Baptismum nunquam fuerunt subjecti Ecclesiae, quales sunt Judæi, pagani, Saraceni, Turcæ, etc. non item hæretici, licet dici queant infideles im-

proprie tales. De horum infidelium conversione tam canonistæ, quam canones in præsentia, modica tradunt, et non nisi id examinant, quod de matrimonio, et prolibus eorum in quæstionem venire potest. Quod et nos faciemus.

2. *Si ambo conjuges infideles convertuntur, possunt et debent in matrimonio etiam cum impedimento ecclesiastico contracto permanere.* — Quæritur I. Quid Juris de matrimonio infidelium, et prolibus eorum, casu quo unus illorum, vel ambo convertuntur ad fidem? An nempe, et quando separari possint, aut debeant? Item cui proles restituenda? Resp. I. Si ambo conjuges infideles convertuntur ad fidem catholicam, possunt et debent in matrimonio prius contracto permanere, etsi cum impedimento secundum canones dirimente contraxerint, textus expressus est in c. *Gaudemus*. 8. de Divortis, et ibi doctores communiter. Ratio assignatur in cit. c. *Gaudemus*. videlicet, quia « Infideles constitutionibus canonicis non arctantur (quid enim ad nos secundum Apostolum de his, qui foris sunt, judicare) in favorem præsertim christianæ religionis, et fidei, a cujus perceptione per uxores se deserere timentes viri possent facile revocari fideles hujusmodi matrimonialiter copulari licite possunt, et licite manere conjuncti, cum per sacramentum Baptismi non solvantur conjugia, sed crimina dimittantur. »

3. *Si vir infidelis habet plures uxores, debet retinere primam et reliquas dimittere.* — Quod si vir infidelis plures habet uxores, debet cæteris dimissis solam primam retinere, si hæc etiam convertatur, vel saltem pacifice, et sine periculo perversionis cum converso habitare velit, arg. cit. c. *Gaudemus*. de Divortis, et ibi Barbosa, n. 11. Engel, h. t. n. 1. et doctores communiter. Ratio est; quia cum polygamia jure divino sit prohibita, cum sola prima verum ac validum contraxit matrimonium. Hinc etiam Barbosa cum aliis doctoribus bene infert, quod si prima nec se convertere, nec absque periculo perversionis cum converso habitare velit, non teneretur vir conversus aliquam aliam ex uxoribus habitis retinere, etsi omnes se converterent, sed posset pro libitu alteri nubere.

4. *An et quando conversus alteri nubere possit, si conjux illius non convertatur?* — Resp. II. Si unus tantum ex conjugibus infidelibus ad finem convertatur, alter vero in

infidelitate permaneat, nec amplius, vel saltem non sine perversionis periculo habitare cum converso velit, potest conversus alteri fidei nubere. Certissima apud omnes, teste Sanchez, lib. VII. *Matrim.* disp. 3 et 4. textu claro c. 7. de Divort. ibi : « Si alter infidelium conjugum ad fidem catholicam convertatur, altero vero nullo modo, vel non sine blasphemia divini nominis, vel ut eum pertrahat ad peccatum mortale ei cohabitare volente, qui relinquitur, ad secunda, si voluerit, vota transibit. » Advertit tamen bene Engel, h. t. n. 2. et alii, quod matrimonium non statim ipso facto dissolvatur, si unus infidelium conjugum convertitur ad finem, sed tunc primum, quando conversus ad alias nuptias actu transierit : hinc si alter conjux adhuc infidelis, antequam conversus cum alia contrahat, ad fidem quoque convertatur, huic adhærere debebit, textu claro c. *Gaudemus*. 8. de Divort. ibi : « Quod si conversum ad fidem, et illa conversa sequatur, antequam propter causas prædictas legitimam ille ducat uxorem, eam recipere compellitur, » et ibi Glossa §. *Compelletur*.

5. Utrum autem conversus cum infidele habitare possit, et debeat, vel alteri nubere valeat, casu quo alter conjux ad fidem se convertere quidem renuit, cum converso vero pacifice, et absque ullo perversionis aut peccati periculo habitare parata est, gravissima est controversia inter doctores, ut videre est apud Sanchez, loc. cit. quam controversiam, sicut et reliqua de matrimonio infidelium, necnon hæreticorum examinabimus in lib. IV. Interea.

6. *Proles doli incapax conjugum conservo educanda traditur, etsi minor triennio. Prolem usque ad triennium mater, post triennium pater alere de jure debet.* — Resp. III. Si conjuges infideles habent unam vel plures proles, et unus eorum convertatur ad fidem, eidem, sive pater sive mater sit, restitui debet proles doli adhuc incapax. Sanchez, lib. VII. de Matrim. disp. 37, n. 16; Barbosa, in c. fin. h. t. n. 14. cum communi et certa aliorum, textu expresso, can. *Judæi*. 10, cau. 28, q. 1, et cit. c. fin. h. t. n. 14, ubi inter alias etiam hæc ratio assignatur; quia ita exigit favor Religionis. « Nam summam esse rationem, qua pro religione facit, » dicitur I. *Sunt personæ ff. de Religios. et sumptib. fun.* Nec refert, an minor vel major sit triennio proles; quia licet alias attento jure proles minor triennio apud matrem, et ma-